FRANC. ERN. BRUCKMANNI, MED. DOCT. ACAD. CÆSAR. NAT. CUR. ET SOC. REG. PRUSS...

Franz Ernst Brückmann

66

FRANC. ERNESTI BRVCKMANNI, D.

EPISTOLA ITINERARIA LXVI.

DE

PANE DÆMONVM,

AD

ILLVSTRISSIMÆ ET VBIQVE GENTIVM CELEBERRIMÆ ACADEMIÆ IMPERIALIS LEOPOLDINO-CAROLINÆ NATVRÆ CVRIOSORVM

PERILLVSTREM, MAGNIFICVM, EXCELLENTISSIMOS, EXPERIENTISSIMOS, CLARISSIMOSQVE DOMINOS, DOM.

PRÆSIDEM,

DIRECTORES,

ADIVNCTOS ATQVE COLLEGAS,

VIROS HONORVM, MERITORVM, FAMÆ FACTORVMQVE GRAVITATE PER ORBEM SPECTATISSIMOS,

PATRONOS, FAVTORES, AMICOS OMNI HONORIS CVLTV VENERANDOS.

CVM FIG. ÆNEIS.

WOLFFENB. MDCCXXXVIII.

VIRI
PERILLVSTRIS, MAGNIFICI, EXCELLENTISSIMI, NOBILISSIMI ATQVE EXPERIENTISSIMI,
DOMINI HONORATISSIMI!

Cum ante aliquot annos Sempronii Hungar. & traditionem quandam de pane quodam mirifice petrifacto, qui ibidem in murallum tormentorum conditorio hodierno adhuc die in miraculi memoriam aſſervatur, inaudiverim, confer. Epiſt. itinerar. XXXVI. pag. 6. occaſionem ex eo pronune arripui, quædam *vobis*, ſpero, non injucunda, *Vir Perilluſtris, Magnifici atque Excellentiſſimi Domini*, de lapidibus panes referentibus capitulatim & conciſe dicere.

Artolithus, vocabulum ex Hellade petitum, commode diſtinguitur in *panem lapideum*, Brod = Stein, Stein = Brod, pertinentem ad lapides, qui nomen a ſimili-

ſimilitudine regum, quas referunt, habent; & *panem petrifactum ſeu dæmonis*, **verſteinerte Brod, Teufels-Brod**, pertinentem ad lapides, qui nomen e rebus ipſis in lapides mutatis habent. conf. Anſelmi Boetii de Boodt gemmar. & lapid. hiſtor. edit. Hanov. in 4t. 1609 pag. 262. Prior figuram panis ex ſolo luſu naturæ refert, quales panes lapidei 1) prope *Rotuillam*, *Rotuillam*, rectius *Rotevillam*, **Rothweil**, Sveviæ oppidulum, Helvetiis finitimum & confœderatum inveniuntur; ſunt lapides rotundi & pani cibario ruſticoque maximo ſimillimi, ambitu fere, ſi bene meminit Conradus Geſnerus, ex cujus rerum foſſilium, lapidum & gemmarum figuris pag. 13. 88 hanc definitionem petimus, dodrantum quinque, in medio protuberantes parte ſuperiore, **Teufels-Brod**, h. e. *dæmonis panem* nuncupant incolæ agreſtes, &, ſi equis de hoc lapide, panis dæmonis dicto, impoſitum ſolem lingat, lumbricos paſſi credunt. Forſan hi panes Vitrioli vel Mercurio impregnati?

2) Talis panis in bibliotheca publica *Baſileenſi* conſpiciendus ſiſtitur.

3) Hi *lapides paniformes*, teſte Eman. **König** in Regno minerali ſpeciali Cap. VIII pag. 274. circa *Bononiam* in montibus quoque reperiuntur, & male a quibusdam pro pane petrifacto habentur, cum ſint meri naturæ luſus; mentionem iſtorum fecerunt Aldrovandus in muſ. metall. pag. 515. & Valentini in Muſ. Muſeor. Part. II. pag. 28.

4) Non procul a rupe **Gänſe-Schnabel** ſita, in monte quodam prealto, ad monaſterium *Ilfeldenſe*, alia quædam rupes a natura figurata panem lapideum domeſticum ingentem, cujus magnitudinis nec unquam quidam in Weſtphalis, quæ alias prægrandes certe & ponderoſos, ſub nomine **Bonpournickel** fama celebratos,

 panes

panes facere & coquere ſolet, in furno coctus fuit? repræſentans & dubio procul aliquot centenariorum pondus æquans, merito conſideratur; hujus iconem, ſi perplacet, evolve in Epiſt. Itinerar. IV. pag. 4. Tab. I. Fig. II. eſt lapis rotundus & oblongus, pani maximo ſimilis, utrinque depreſſus, rupi alii ingentis molis & ponderis, ſed ſolutus, incumbens. Non eſt panis petrifactus, ſed ſaxum paniforme ex ſolo naturæ luſu figuratum; incolæ monaſterii laudati & vicinorum locorum Germ. ſalutant den Brod-Stein.

5) Nec ſilentio hic prætereundus clibanus iſte cum *placentis lapideis* albicantibus in quinto antro *Speculi Baumannica* ex aqua ſtalactica luſu naturæ mirando figuratus & concretus, non procul a monte Olivarum ſpectandus. Laudatus furnus eſt cavitas quædam ſubrotunda concamerata, ſine opera humana & ſedulis manibus, ex ſtalactite a natura ſola, ingenioſa fictrice, temporis & plurium ſeculorum tractu confecta, quæ, quoad ad interiora, fornicem nempe & planum, panibus coquendis deſtinatum clibanum quadantenus repræſentat; in hoc furno naturali videnda adſunt lapidea quædam fruſta, æque ex ſtalactite a natura, ſine igne, ex aqua cocta, vel potius & rectius ex aqua præcipitata & ſenſim concreta, dum aqua ſtalactica continuo ex fornicato furni cavo in planum decidua materiam calcaream & terreſtrem & pro placentis lapideam aliunde ſecum attulerit & fruſtula lapidea, quæ vulgus a ſimilitudine *placentas* vocat, ſenſim, appoſitione & agglutinatione particularum & atomorum calculoſarum, compoſuerit & confecerit. Hæ placentæ, cei ingratæ, dentibus moleſtæ & ventriculo indigeſtibiles; ſunt corpora plana lapidea, ac ſi cylindro quodam voluta, in ſuperficie vero ſuperiori parum inæqualia & aſpera, non aliter ac ſi ſaccharo & cinnamomo adſperſa. Dom.

Leſſes

Lefferus, verbi evangelici apud Northuſanos primo venerabilis cum placentis, quas obſoniorum artifices Käſe- und Reiß-Kuchen appellant, comparat, conf. ejusdem Anmerckungen über die Baumanns-Höle, pag. ultima, quas breves quidem, ſolidas tamen & eruditas de hoc antro a ſeipſo factas annotationes meo nomini dedicare ipſi perplacuit, pro quo nobis tributo honore debitam gratiarum actionem iterum hic publice referre merito non negligimus. Autor quidam ſub literis initialibus A. S. L. tectus, qui epiſtolam quandam lectu jucundam poeticam memorabilia dictæ ſpecus exhibentem edidit, ſequentem verſum Teutonicum de hoc clibano & placentis habet:

Die fünfte Höle läſt dir auch noch etwas ſehen;
In dieſer iſt der Berg, den man den Oehlberg nennt,
Ein Ofen iſt dabey, worinnen Kuchen ſtehen,
Allein der Becker hat ſie gar zu hart gebrennt.

Sexto: In monte Schnee-Kopffe peculiare lapidum, quorum nonnulli parvos panes (non penes, uti ille diſcipulus in ludo literario a præceptore quæſitus, quid ſignificat panis, penis? quondam audacter reſpondebat: panis, ein groß Brod, penis, ein klein Brod) ſimilus &c. figura externa referunt, genus oſtenditur, conf. Mylii Saxon. ſubterran. memorabil. Part. II pag. 61. qui lapidi mammoſo Aldrovandi L. IV. pag. 769. deſcripto aſſimilari putat, licet ratione coloris differentia quædam intercedat.

Huc 7) pertinet *panis ſimilagineus* Wormii, ſteinern Weißbrod, Zwieback, quem pag. 84. Lib. I. cap. 23. ſect. 2. in ſuo muſeo ſequentibus deſcripſit: „quod „fuerit *lapis*, *panem triticeum melioris ſortis referens*, ex „duobus globulis invicem conjunctis conſtans, eo modo,

 „quo

„ quo tales panes in Dania confici ſolent. Exterior & „ convexa ſuperficies albicat, ac ſi farina eſſet conſperſa, „ ut & interior, quæ concava, ſcabroſa & extuberantiis „ quibusdam prædita; junctura ſeu interſtitium inter duos „ globos ex ſolido ſilice nigricante, ut & corpus utrique „ ſuperficiei interjectum, uterque globus in diametro pal- „ mam habet, magnitudine æquales.

8) Hujus loci ſunt lapides certa figura mathematica ſphærica præditi M. Georg. And. Helwingii in Lithograph. Angerburg. pag. 26. quos panibus ſimilagineis ſimulos, ex duobus rotundatis & globoſis lapidibus, natura finxit; horum alter altero ſemper minor apparet, ſibi invicem arctiſſimo nexu ita junctis, ut juncturæ interſtitium ſatis manifeſte inter eos conſpiciatur, quorum ſuperior pars extuberans & convexa eſt, inferior vero plana apparet, **wie die Paar-Semmel geſtalte.**

9) *Tophus* quidam *placentiformis* in rivo quodam prope *Norcopiam in Oſtrogothia*, teſte Kilano Stobæo in diſſert. de nummulo Brattensburgenſi pag. 8. frequens reperitur, & vulgo *Malvickor*, vel quod *panes Martios* diverſarum figurarum repræſentet **Fleckebröd**, quaſi *Najadum panis*, dicitur.

10) In Dom. Ern. *Benjamini a Löwenſtede* & Ronneburg muſeo lapis panem exhibens, **ein Stein wie ein Brod**, occurrit. vid. Kundmanni prompt. rerum natural. pag. 63.

11) *Panem hic* ſolitum *lapideum* ex luſu naturæ ita figuratum hinc inde in variis curioſorum lithophyſicorum nobis offendere licuit, hinc inde quoque in ſcriptis illius mentionem factam legimus. Beat. Hermannus, verbi quondam divini apud Maslenſes in Silefia miniſter fideliſſimus, in patina interdum offerebat parvum panem, **ein Kreutzer Brödtel** ibi loci dictum, lapideum, ſimul

cum

cum lapidibus caſeum & lac concretum, quod Quarck-Käſe nominant, referentibus, ex ſolo naturæ luſu figuratis; corporibus naturalibus, quæ repræſentabant, ex omni parte conſimilibus; porro & monſtrabat fruſtulum de pane, Kreutzer Brod dicto, (quia panis ejusmodi ponderis & magnitudinis in Sileſia pro crucigero vendi ſolent) præciſum, adeo naturale, ut fraudis inſcii multo citius hoc, quam proxime adjacentem in furno ex farina coctum arriperent panem, quo interdum & amicis & ſibi venuſtiſſimos dedit luſus; in uno cruſtæ latere videbatur, ac ſi quidam meditabundus, in cujus cerebro multæ & altæ concurrerunt cogitationes, parum de vortice decerpſerit, vel inter ſecandum parum maculam & cruſtulam digito effoderit; cruſta differt a medulla & colorem optimum panis venalis recentis flaveſcentem habet, cum interior ſubſtantia, mic[a]m mollem denotans, ſimilis ſit pani pallidioris coloris; & eadem in medium afferendus iſthuc panis hic caſſus lapideus ex luſu naturæ æque factus, natuali ex omni parte, quod ad externa, ſimillimus, adhuc ex duobus globulis compoſitus, ſed diſtinctus in loco, quo cultri cuſpide diſſindendus. Nec non ultimo apud iſtum panis melius lapidis, ſteinern Pfefferkuchen, fruſtum, digitum longum, tam naturale & ſimile artefacto, ac ovum ovo, admirationem meretur peculiarem.

12) *Vratislaviæ* in bibliotheca ad St. ædem Mariæ Magdalenæ dicatam lapis panem magnum domeſticum, ein groſſ Hausbacken Brod, pretii duorum groſſorum argenteorum, & alius ſimilam rotundam, quales Vratislavienſes ad nuptiarum convivia ordinarie pinſere ſolent, Breſlauer runde Hochzeit-Semmel, figuris ſuis accurate exhibentes videndi aſſervantur, de his inquit politor Vratislavienſium præſtantiſſ. Dom. Doct. Kundmannus in rarioribus nat. & artis pag. 150. ſq. in Promptuario rerum

rum natural. pag. 42. nemo facile credet, hos dictos panes lapideos & vitum, quem Athanaſ. Kircherus in mund. ſubter. Lib. VIII. ſect. 1. fol. 49. verbis expreſſit, unquam veros panes fuiſſe, vel homines antidiluvianos ejusmodi albos & nigros panes, uti hiſce temporibus Vratislaviæ, inpr. in nuptiis, pinſare ſolent, formaſſe & coquiſſe.

15) *Panes damonum* nonnullis, *panes lapidei* Aldrovando in Muſ. metall. exacte repræſentantes buccellam a farina confectam, in *Polonia* interdum reperiuntur.

Ac tandem ultimo noſtra lapidum figuratorum collectio 1) offert *panem buccellum lapideum*, ein ſteinern Zwieback, qui eſt ſilex cinereus, amygdali magnitudine, in medio horizontaliter vena nigricante diſtinctus, ex utroque latere planus; hunc ex Sileſia cum aliis rebus naturalibus, ibi ante quatuor annos pecunia paratis, accepi, ſed admodum exiguam ac levidenſem cum pane biscocto convenientiam habet. 2) Laudat alium *lapidem*, *panem biscoctum*, quoad ad omnia, formam, figuram, colorem flaveſcentem & cruſtam exhib. pani in furno bis cocto tam ſimilem, ac ovum ovo, Wolfenbuttelæ a filiolo natu majori in ſylva, Kramerholtz dicta, caſu deprehenſum; cruſta in uno loco, ac ſi deturbata foret, parum deficit.

Fig. I. 3) Siliculum ex cinereo-nigricantem, in magnitudine naturali, panem exiguum rotundum & parum compreſ-

Fig. II. ſum figura exhib. monſtrat. Sic ſatis de pane, ſimila & placenta ex luſu naturæ figuratis lapideis, nunc & in medium adducendi *panes* ſic dicti *petrifacti*, verſteinerte Brod, quos Teufels-Brod vocant, figuram panis poſt petrifactionem retinentes. *In templo St. Petri Academiæ Lugdunenſis Batav.* inter res rariores & curioſas panis, qui in lapidem, ex voto divitis cujusdam fœminæ, tempore cariſſimæ annonæ ſorori germanæ panem denegantis, mutatus perhibetur, oſtenditur. Anno 1516. paupercula quædam

dam a fortuna favente derelicta, fumoque confecta, ſed liberis dives, in ſumma omnium rerum caritate a ſorore magnus opibus prædita beneque nummata, panem propter Deum ad avertendam famem & mortem liberorum, cibi avidorum, ſubmiſſe petit. Iſta vero miſeræ iiſdem parentibus natæ ſorori panes recuſavit, ſancteque ſimul juravit, ſe panes in domo non habere, imo, ſi haberet, Deum rogare, ut in ſaxum converteret. Dictum votum factum; panes momento citius, in pœnam & horrorem omnium avaritia turpi ardentium hominum, a Deo juſto in lapideam transmutati fuerunt ſubſtantiam. Ex his panibus quidam in memoriam & ut ſignum mnemonicum Lugduni Batav. in hunc usque diem aſſervatur & nemini non monſtratur, teſtibus Andr. Junio in deſcriptione Hollandiæ; Luthero de cenſu Lib. III. cap. 7 pag. 570. Commentario meditat. hiſtor. Erdmanno Uhlen in lexico univerſal. Geograph. hiſtoric. pag. 553. Mart. Zeillero in der Epiſtol. Schatz-Cammer p. m. 156. Ejusmodi panes lapideos & duos olim *Veronæ in Calceolarii Muſeo*, unum ex milio, & alterum ex ſiligine coctum, nunc petrifactum, videre licuit. Quæ de pane in lapidem mutato & in templo monaſterii *Olivæ* ſuſpenſo narrantur, autor quidam Hartknoch plene & verboſe cum aliis communicavit. Fœmina quædam, vitam inopem colens, infantem in ulnis geſtabat unum, alterum vero pedibus inſequentem habebat in lacrymas effuſum & panem, erat enim in Pruſſia iſto tempore ſumma annonæ caritas, anxie deſiderantem. Huic triſolio famelico monachus, frater St. Jacobi ordinis, ein Jacobs-Bruder, qui ex monaſterio *Oliva* Gedanum iter faciebat, obviam venit; ab hoc, propter Dei miſericordiam pro puerulo ſuo fame jam enecato panis fruſtulum devote contendit, qui vero vir perdagus, ſe non habere panem, audacter reſpondit. Illa

 ſtatim

ſtatim regerit: ſed video te panem in ſinu habere, nam iſtum in vix nominato monaſterio acceperat. Frater St. Jacobi repoſuit: quem portaret, eſſe tantum lapidem, quo iſtum in canes adlatrantes conjiceret. Paulo poſt eſuriens cum panem ſuum hactenus in ſinu geſtatum comedere & dentibus atrodere vellet, ecce in lapidem erat durum mutatus, qua ſtupenda metamorphoſi mirum in modum perterritus, retrolvit, monaſteriumque repetiit, omnibus & ſingulis quid factum non celavit, imo lapidem in ſempiternam memoriam in templo dicti monachorum congregationis ſuſpendit conf. Caſp. Henneberger: Erklärung der Preuſſiſchen gröſſern Land-Taffel Anno 1595 Regiomont. impreſſ. fol 339. item Mart. Zeiller: Epiſtoliſch. Schatz-Cammer pag. 177.

In theſauro ſacro Cæſareo *Viennæ Auſtriæ*, in der Käyſerl. Schatz- und Kunſt-Cammer, lapis quidam ex duobus concretus adeſt ex iſtis, qui ſuperioris ſeculi Anno 1622. 1672.

Schemnicii in Hungaria, dum fœmina, ſacræ legis contemtrix, feſta D. Annæ luce panem pinſeret, in furno e panibus in ſaxa verſi ſunt, uti hiſtoria apud profanos & ſacros ſcriptores annotata legitur. Dimidio lapide *Doccumo*, urbe *Friſia*, eſt pagus, quo ferunt D. Bonifacium, quum panes a ruſtico ſibi fame laboranti malitioſe denegatos in lapidem convertiſſet, cum ſociis ſuis martyrio affectum fuiſſe circa A. C. 755. vid. Gotfr. Hegenitii Itinerarium Friſio-Hollandicum pag. 36. hos panes lapide concretos *Doccumum* adhuc reliquos eſſe teſtantur. Sigebertus narrat, in tenui re hominem Anno 1106. a nautis eleemoſynam petiiſſe, cui vero reſponſum dediſſe; ſe nihil aliud, niſi lapides, in navi vehere; pauperculum hunc

votis

varis exoptaſſe, ut omnia in navi profluentia alimenta, ex Dei permiſſione, in ſaxum commutarentur, quod ita quoque factum, & omnes cibos, quos navis portavit, fuiſſe petrifactos, manente in ſingulis forma & colore naturali. Ulyſſ. Aldrovandus in Muſ. metall. pag. 868. non unum ſed plura producit miracula, quibus ex mendicorum quorundam voto & maledictione non tantum panes, ſed & reliqua victualia, in magnis ovibus in ſaxum converſa.

Quomodo *Hieroſolymis* panes in lapides per miraculum commutati, vid. apud P. Angel. Mariam Myllera in Peregrino in Jeruſalem Lib. V. pag. 824. „ Ein gewiſſer andächtiger Chriſt in der Stadt Jeruſalem, „ mit Nahmen Gerard, als er in dem Werck der „ Chriſtlichen Liebe mit Brod auswerffen ertappet, „ und ſogleich vor dem Commendanten mit dem „ Brod vorgeſtellet worden; allwo er aber aus ſeinen Säcken an ſtatt des Brods, nichts als Steine, „ vor ihm ſolle heraus gezogen haben; ſo, daß das „ liebe Brod, nicht anders, als miraculöſer Weiſe, „ in Steine verwandelt worden. „ Sed hæc boni patris relatio papiſmo valde redolet traditionem. Olaus Wormius in Hiſtoria rerum rariorum exhibet panes in ſuo Muſeo obvios miraculoſe in lapides transformatos pag. 84. verba ejus ſunt ſequentia: „ *Panem ſecalinum* „ ea forma, qua apud nos vulgo paſcitur, haud inepte „ exprimit lapis rotundus & planus, craſſitie quatuor di„ gitorum, in circumferentia duos habens, ſubſtantiæ „ ſaxeæ duritiei, colore ſubnigro. Hic mihi dono datus „ a ſene venerando D. M. Nicolao Michaëlio, Holmiens. „ Regiæ concionatore, una cum hiſtoria transmutationis „ ſua manu conſcripta. Verum enim panem olim fuiſſe, „ & miraculo in panem transmutatum autumat: illorum, „ quæ ſcripſit, hæc eſt ſumma. *Abuſi Suorum fœmina*

XX 2 „ dege-

degebat circa annum Chriſti MDXLVI, quæ dum panes die feſto in furno coqueret venalitios, mineres juſto, eorumque unum eximeret, tentatura num perceti eſſent, eumque cultro diſcinderet, & crudum adhuc animadvertiſſet, rurſus clibano intulit, ſed cum coctos extraheret, vidit omnes in lapides duratos, etiam hunc truſtum, quem ego poſſideo. Pluribus hæc perſequitur ille: ego, qua fide accepi, reddo. Panes vero hoſce in rei memoriam aris multarum eccleſiarum in Scania impoſitos fuiſſe ait. Ac hunc quidem, quem ego teneo, ex eccleſia Noſebyenſe petitum, certum eſt. Nobiliſſimus Eques D. Ebbo Ulfeldius, Chriſtophori F. Boringholmiæ Præfes Regius, ſimilem panem in lapidem converſum ad me tranſmiſit Anno 1651, ſed minorem aliquanto, rotundum, & non adeo nigrum, in cujus inferiore parte ſinus quidam & inæqualitates apparent, ex furni inæqualitate contracti, dum adhuc mollis erat. Nigrorum etiam quadam in parte oſtendit, perinde ac ſi ambuſtus fuiſſet nimio calore, rimæ quoque apparent, quales contrahere ſolent coquendi panes ubi calori exponuntur ad fermentationem meliorem. Referunt fœminam quandam fururi fuiſſe, panem recentem petenti, ſe eo deſtitutam eſſe, addito juramento grandi, reſpondiſſe: atque ob hoc peccatum omnes recenter coctos in lapides miraculoſe transformatos eſſe. Hic lapis filis ferreis circumdatus, e templi vicini tholo ſuſpenſus in hunc uſque diem fuit. Exempla panum in lapidem converſorum apud alios etiam extant autores. Fabius Verrucoſus apud Senecam 2. de beneficiis, *panem lapidoſum*, i. e. ut Lipſius ait, *panem in lapidem duratum* comparabat cum beneficio acerbo hominis duri & crudeli. Joh. Craſſulus, comment. in quæſtum meteo-

 rorum,

„ rorum, narrat noſtro ævo panem cum incluſo piſce „ percoctum, cum terra diu fuiſſet obtectus, poſtea de„ prehenſum eſſe lapideum. In Muſeo Calceolarii Ve„ ronenſi, duo ejusmodi conſpiciuntur, unus ex ſecali, „ alter ex milio. „ Plura exempla panis in lapidem mutati vid apud Pitzſchmannum vom Schleſiſchen Semmels Gewächſe pag. 76. 77. Non abnuo, Deum juſtum poenis ſuis vindicantibus homines malignos & improbos, qui proximo ſuo panis fruſtum recuſant, plectere & ſupplicia de iis ſumere ſolere, poſteritati in documentum, quod corda noſtra humana non ſint erga proximum ſaxea, ſed mollia & miſericordia, quæ ei iſtud bonum, quod ſibi ipſis cupiunt, non invideant. Verum & hoc fateri cogor, multum luſui naturæ & phantaſiæ humanæ, quæ aliis hanc vel illam in lapidibus adeſſe figuram formamque perſuadere operam dat, interdum tribuendum. Adſunt in noſtro muſeo & apud plures alios in lithophylaceis lapides caſeos, butyrum, petaſones, ova & alia victualia exacte exhibentes, interim tamen de iſtis dicere & affirmare minime poſſumus, iſtos unquam veros fuiſſe caſeos, petaſones, ova, butyrum, & corpora ex voto in ſaxa mutata. Si omnes ejusmodi lapides paniformes & caſeiformes in unum vellem & poſſem colligere locum, integram, certe non parvam, ex iſtis domum extruerem. In ſaxum fere convertuntur omnia, & caſeus & panis, inquit Athanaſ. Kircherus in Mundi ſubter. T. II. p. 49. ſed hæc theſis non eſt univerſalis & permultas patitur exceptiones. De pane in terræ viſceribus, uti conchas, cochleas, variaque teſtacea marina petrifacta numero innumero producere poſſumus, in lapideam transmutato ſubſtantiam nec unquam quid vidi, nec legi. Omnes modo recenſitæ hiſtoriæ tantum de pane ex voto cum diris deprecationibus in ſaxum mutato loquuntur. An ſingulis

 ple-

plenaria fides tribuenda? non dijudicamus. Ipſe D. Wormius admodum timide & dubie, ea fide, qua accepit, mentem ſuam de iſta miraculoſa metamorphoſi communicavit. Animum certe ad cavendum merito attendere debemus, ne in tentationem & ſuperſtitionem, quibus hominum hoſtis, Satanas valde delectatur, incidamus. Mundi & totius generis humani Salvator, cum iſte præfrictæ frontis belial ab ipſo, ut lapides in panes converteret, inverecunde poſtularet, minime gentium cacodæmoni ex voto gratificatus. Matth IV. ℣. 1-12. Si es cunctipotentis Dei filius, dic, ut hi lapides in panes transmutentur. Certe omnipotentiæ JEſu divinæ rei quam facillima fuiſſet, hanc in apricum probam deponere, niſi majeſtati entheæ & cœleſti in hoc deſiderio infeſtatori impudenti favere repugnaſſet. Qui olim nihil habuit negotii rupem in lacum, ſaxa in fontes, Pſalm CXIV. v. 8. ſolo ſuo divino ac augoſto verbo commutare, quomodo & non perexpedite ex lapidibus panes, ſi ipſi viſum fuiſſet, formare potuiſſet? Qui Abrahamo, quod adhuc certe plus eſt, ex lapidibus liberos viventes procreare valebat, quomodo & non ex eadem dura materia victum pro hominibus producere potuiſſet? malus mundi ſpiritus ex pane lapidem apud ſuperſtitioſos vult fingere, qui omni, imo meliori, jure *panis dæmonum* vocandus, quam lapis ex ſolo luſu naturæ paniformis Bononienſis, Rotweilenſis, Ilfeldenſis & alius.

Supra laudatus Wormius l. c. de petrificationis panis cauſis ita habet: „ In hujus rei cauſas inquirens „ Erudiſſ. Renatus Moreau, animadverſionibus in Scholam Salernitanam, rationes allegat veritati ſatis congruas: „ vel quod panis terra obrutus ſuccum lapideſcentem imbiberit, a quo poſtea in lapidem induratus ſit, vel „ quod vehemens terræ frigus panem quaſi congelet; vel

„ quod

„ quod terra virtutem ſeminalem habeat, aut lapis, quæ „ formam ſuæ ſimilem in materiam diſpoſitam imprimat, „ vel quod terra, qua tegebatur, peculiarem habuerit „ naturam obvia in lapides convertendi: vel quod panes „ hi nunquam vera fuerint panes, ſed luſus naturæ in ge„ nere lapidum, quemadmodum videmus eam alia ejus „ generis crebro efformare. Quæ ultima ratio huc ma„ xime ſpectare videtur. „ Et mihi quoque inter omnes potiſſimum, rejectis reliquis & ſucco lapideſcente, cum mador panes corrumpat, terræ frigore, cum panis circumgelatus & denuo regelatus facile fracturas nec non eo ſitus ſitum cum putredine admittat, virtute ſeminali panes lapideos in terra producente, &c. ultima iſta de luſu naturæ cauſa arridet. Summopere miratus, neminem horum cauſam in montanos pygmæos & ſubterraneos ſpiritus, antra & metallifodinas incolentes, quod nempe iſta parvula natio, ut nunquus fallat, iſtos panes lapideos in terra piſuerit, conjeciſſe?

Panis a Græcorum πᾶν derivatur, qui panem habet, ſat & omnia habet. Unus panis eſt inſtar omnium. Primorum parentum victum quoque fuiſſe panem ex ſacris literis Geneſ. III. comprobare poſſumus: in ſudore vultus tui panem tuum comedas! panis eſt optimum alimentum roborans, eſt medicamentum cordiale, confortativum & analepticum inſigne. Hinc in precibus a Chriſto doctis quotidianum tantum petimus panem, qui inſtar omnium ciborum. Da nobis panem Domine in diebus noſtris, non durum & lapideum, ſed frugalem ac ſufficientem, & Tibi propter hunc erit gratiarum actio, gloria, laus & honor in ſecula. Et hæc eſt brevis noſtra de lapidibus panes referentibus commentatio.

Valete & favete, Viri Periluſtris, Magnifici,
Excel-

Excellentiſſimi, Nobiliſſimi ac Experientiſſimi,

Veſtrorum Graviſſimorum Nominum,

Wolffenbutt. d. 3. Febr. 1738.


obſequentiſſimo & obſervantiſſimo cultori Brückmanno, D.

P. S. Clauſula literis hiſce jam impoſita, anonymi cujusdam liber lectu admodum jucundus permultisque doctrinæ refertiſſimus, Amuſemens des Eaux d'Aix la Chapelle, forte fortuna in manus mihi venit. Autor ſtens occaſione, qua tricipitis epiſcopi Ultrajectini, *Willebrodi*, cui ſancto & pontificius quidam medicus & chirurgus tres manus ex incuria & re non ſatis accurate inſpecta, forſan quoque, uti videtur, ex ignorantia oſteologiæ tribuerant, cujus epiſcopi caput tribus diverſis in locis in Romanæ fidei addictorum templis viderat, qui etiam Divi Johannis Baptiſtæ caput tribus locis, nempe Romæ, Amiani & St. Jean d'Angely, ubique miraculis celebratiſſimum, oſtenderat, mentionem fecerat, ultimo p. 1044. hæc ebuccinat verba: „ Es iſt ein Heiliger, der erſtaunende „ Wunderwercke verrichtet: er verwandelt das Brod „ in Steine, wenn er zornig wird. Ich habe etliche „ von ſeiner Art auf meiner Reiſe nach Frieſland geſe„ hen: Denn als ich in eines Catholiſchen Herrn Ca„ pelle einige Meilen von Leuwarden zur Meſſe gieng, „ wurden mir 2 groſſe Steine in Geſtalt eines Bro„ des nebſt allen Kennzeichen des Ofens, und wie ein „ aufgelauffener Teig gewieſen; dabey man mich verſicherte, daß erwehnter Heiliger ſelbige in Stein ver„ ändert habe. „ Et hæc pro brevis relatio non eſt Evangelici, ſed viri Romano-Catholici.

-§§§ X o X §§§-

93948262

Ad Ep. Pl. LXVI
Fig. I





II